Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 509
Quelle:
Copyright:

ſimul aperto in coitu miſceatur; quae verba ſunt *Fulgentii* L. II. c. 4. Poenam igitur talionis hic luit, qui eodem modo non pauca transſcripſit ex *Hygino*. Unde cetera ſua corraſerit Noſter *Fulgentio* in Graecis haud felicior, ignoro. Interim fortaſſe tamen meruiſſet ab *Auguſt. van Staveren Auctorib. Mythographis lat. Lugd. Bat.* 1742. 4. addi.

CCLXXXI.

R. 60 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 208. f. perquam nitide ſcriptus, etiam ſi Graeca ſpectes, purpura diſtinctus, et litera cujusque Libri prima eleganter deaurata et picturata complectitur *L. Caecil. Firm. Lactantii Divinarum Inſtitutionum Libros* VII. praecedentibus de Autore judiciis *Auguſtini* et *Hieronymi*, et praefixo ſingulis Libris *Capitum* Elencho, nec non adſtituta in margine locorum graecorum interpretatione, et quibusdam obſervationibus, ut adeo adparatu pluribus Editionibus non inferior. Titulus purpureus L. I. ſic habet: *L. Coelij Firmiani Lactantii Divinarum Inſtitutionum Liber Primus.* Initium: *Magno et excellenti ingenio viri cum ſe doctrine* &c. Ita et reliqui Libri usque ad VII. finem: *quod ipſe promiſit a Domino conſequamur;* cum Edit. *Pariſ.* 1748. 4. etiam lectione plurimum conſpirant, niſi quod Graeca quibusdam locis minus ſana ſunt. In *Praef.* ubi Edita habent: *Erant illi quidem veritatis cognitione digniſſimi*, legit Noſter a prima manu: *Erant quidam illius ueritatis* &c. non prorſus ἄλογως; neque tamen in ampliſſimis licet curis *Brunii* et *Lengleti* varietatem hanc inveni. Codicem *Florentiae* in elegantiſſimorum Sec. XV. Απογραφων Patria exaratum fuiſſe et manus ſuadet, et, qui *p.* 1. notatus eſt, Poſſeſſor *Julius Landus*, cujus *fol.* 3. etiam comparent Inſignia. Quis vero is duorum *Juliorum* ſit, quorum *J. B. Donius* in *Libraria* ſua *Venet.* 1580. p. 24. 12. meminit, illene, quem familiarem *Hippolyti Medicis* Card. et Scriptorem *della Formaggiata* et *Vita d' Eſopo* facit, an *Comes* ille, quem *delle Attioni morali* tractaſſe teſtatur, ignoro.

CCLXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 66 Folior. 78. 4. min. currente calamo, ſed ſat nitido ſcriptus, manu *Felicis Feliciani Veronenſis*, ut habes *fol.* 41. primis utriusque Tractatus paginis charactere unciali diverſicolore exaratis, et a. 1642. emtus a *Chriſtoph. Corrado Senicenſi* continet: I. *L. Caecil. Firm. Lactantii Librum de Ira Dei ad Donatum.* Praeit Elenchus *Capp.* XXIII. Initium eſt: *Animaduerti ſaepe Donate plurimos id exiſtimare* &c. Finis: et *nunquam uereamur iratum.* Textus ſat correctus; diverſam ſaltem lectionem jam Editores *Pariſini* 1748. T. II. adnotarunt. Loca graecorum Autorum latina ſolum verſione minio ſcripta repraeſentantur; C. tamen